*AUTHOR:*

WINTER, DR.

*TITLE:*

STOICORUM PANTHEISMUS ET...

*PLACE:*

WITTENBERG

*DATE:*

1863


Master Negative #

93-81179-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Dissertation
183
Z8
v 1
Winter,
Stoicorum pantheismus et principia doctrinae ethicae quam sint inter se apta et connexa
Wittenberg 1863

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-12-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM


**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202






Centimeter



Inches



Philosophy – Stoic

no 3

183
Z81

# Programm

des

# Gymnasiums zu Wittenberg

## Ostern 1863

womit

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler
am 25. und 26. März Vormittags 9 Uhr

und

**zur feierlichen Entlassung der Abiturienten**
am 26. März Nachmittags 3 Uhr

ehrerbietigst und ergebenst

einladet


Dr. Hermann Schmidt,
Director des Gymnasiums.


---

Inhalt:



---


Wittenberg, 1863.
Druck von Bernhard Heinrich Rübener.

Quid ex iis, quae Stoici memoriae reliquerunt, inventori ac principi debeatur, quamquam pro certo affirmari nequit, tamen non possumus silentio praeterire, quid causae fuisse videatur, cur Zeno suam porticum extruxerit. Etenim res ipsa, de qua disserere copiosius instituimus, postulat, ut principia et fundamenta, quibus Stoicorum doctrina nitatur, in lucem proferamus. Exquirere certe nos oportet, quis quantam vim potissimum ad Zenonis philosophiam habuerit.

Diogenes Laertius — autor quamquam alioquin parum luculentus, in hac autem re certus et exploratus — Stilponem, Diodorum Megaricum, Cratetem, Polemonem, Xenocratem dicit, quorum scholas Zeno mercatura missa frequentaverit. Neque vero est, quod fusius uberiusque de Stilpone et Diodoro disputemus, quum quid quantumque alteruter ad singula quaedam praecepta conformanda valuerit, neque satis pateat, neque ullius momenti ad rem nostram putari possit. At permultum permovebat animum ac mentem Zenonis Crates. Ad hunc enim primum se applicasse Zenonem ab eoque pudicum posthac discessisse Diogenes narrat, quum ad cynicam impudentiam ille descendere noluisset. Aliis autem ducibus vitam beatam sectabatur, quam in externis certe rebus non positam ipse vitae usu didicerat. Notum autem pervulgatumque est, quum oraculum Zeno consuluisset, quo pacto vivere optime posset, respondisse deum, si mortuis concolor fieret. Quod quum ille recte intellexisset, se ad legendos antiquorum libros conferebat; maxime vero Xenophontis commentariis delectabatur. In ethicis ergo quaestionibus maxime versabatur Zenonis studium. Si vero hominem ab hominum commercio sejungi volebat, in Cynicorum ἀπαθείᾳ poterat acquiescere. Neque tamen acquiescebat, quamquam ex Cynicorum disciplina multa lineamenta ad suam sapientis imaginem describendam transferebat. Postremum videtur Polemo, qui, quum adolescentulus dissolutis moribus fuisset, deinde Academiae gravitate motus resipiscere coeperat, Zenonem totum suavitate facundiae sibi devinxisse. Is autem praecipiebat, ut in rebus nos exerceremus, non in dialecticis. Polemo vero Xenocratem sequebatur; hunc quoque Zeno audiebat; quid igitur obstat, quominus conjectemus **Zenonem potissimum ex Academia materiam ad fundamentum Stoae jaciendum et substruendum apportasse?**

Quod ut certis argumentis comprobemus, inquiramus oportet in Xenocratis doctrinam. Is autem, quod per se appetatur, bonum esse docet; contrarium esse malum; medium quiddam tenere, quod sit neque bonum, neque malum; bonum efficere proprium esse virtutis, quam eam esse dicit, cui nihil possit anteponi; tum vero beatum esse eum, cui se virtutis participem esse sit persuasum; beato denique contigisse ἀοχλησίαν illam (cf. Clem. Alex. strom. II. 418 D.). Ad virtutem vero in humana vita exhibendam dedisse naturam prima bona; quare primo loco praecipi, ut unusquisque vivat secundum naturam, vel aliis verbis, virtute adhibita primis a natura datis fruatur (Cic. de fin. II. 11).

Neque dubium videtur, quin Xenocrates, quae in ethica doctrina praeceperit, iis fidem fecerit argumentis ex physica petitis. In hac autem animi, quo omnem felicitatem percipi pa-

tet, vim ac naturam explicabat, eumque daemonum quorundam imperio teneri ac gubernari do- cebat; quo fieri, ut in quo bonus daemon esset et tanquam sedem domiciliumque collocasset, felix (εὐδαίμων) esset; hos autem daemonas ex mundi anima radiorum instar ortos sub luna regnum habere. Neque est, qui Stoicorum allegorias, quas de Junone, Cerere, Neptuno finxe- rint, a Xenocrate mutuas tanquam sumptas esse neget. Hos vero daemonas universos efficere Jovem inferiorem; supra eum esse eique praeesse Jovem superiorem, qui nullis vinculis cum mundo constrictus in coelo regnaret. — Quae si animo comprehenduntur, Jovem inferiorem sive mundi animam esse non principalem apparet, sed proximam quandam et a superiore numine ductam vel — ut ait Xenocrates — dyada quandam; superiorem vero Jovem et monada, quam dicit, parem et eundem esse liquet. Verumenimvero latet, quo modo ex Jove superiore fiat mundi anima. Nam nisi totus erro, superior ipse Jupiter non est nisi in sola cogitatione et opinione, tum vero Pythagoreorum numeris et artibus ad ipsam rerum naturam deductus in deorumque numero, qui veri sint, receptus. Porro autem nusquam reperitur, qua ratione mundi anima ad mundum ipsum pertineat cum eoque communicetur; neque minus denique obscuritatis vel erroris habent, quae de humana anima afferuntur. Haec enim quum ex divina anima orta materiae tota sit expers vel adeo, ut ne spissi tenuisve quidem compos sit, qui fieri potest, ut quae complectatur rerum natura, ab illa ea comprehendantur? Nihilominus tria cognitionis ge- nera distinguuntur, et unum quidem, quo quae sunt in rerum natura (ἡ ἐντὸς οὐρανοῦ οὐσία) perspiciuntur; alterum quo quae a sensibus remota sunt (ἡ ἐκτὸς οὐρανοῦ οὐσία) comprehen- duntur et intelliguntur — id quod scientiae proprium est — tertium, quo res coelestes opina- mur et ita quidem, ut hanc opinionem sensibus pariter atque scientia pariamus. In hac autem opinatione et verum et falsum inesse dicit; quamquam quo jure, ipse videat. Neque praeter- mittendum videtur Stoicos quoque non solum illa cognitionis genera probasse personisque trium Parcarum descripsisse, sed etiam pari modo atque Xenocratem iis, quae sensum moverent, magnam habuisse fidem.

Denique ex opinatione errorem, ex errore malum nasci Xenocrates docebat; neque sane poterat, nisi assensionem atque approbationem uniuscujusque arbitrio datam esse (τὸ ἐπ' αὐτῷ εἶναι) persuasissimum ei fuisset. Quamquam vero quo ille argumento, quae in hac parte do- ctrinae exposuit, ea patefecerit, nunc satis intelligi non potest, tamen labi per errorem nobis ii non videntur, qui sensisse eum cum nonnullis saltem praeceptis volunt, quae Nemesius in libro φερὶ φύσεως ἀνθρώπου a Platone — vel rectius ab ejus discipulis — tradita memoriae mandavit. Equidem id certe persuasum habeo, ne Xenocratem quidem abhorruisse a fato illo, quod mundum κατ' ἐνέργειαν permeet et quae sit lex illa divina, ex qua causam, quae quem- que moveat, subterfugere nequeat (Nemes. p. 144 θεῖον νόμον ἀπαράβατον δι' αἰτίαν ἀναπό- δραστον). Est autem lex illa — sit venia verbi — causa cogens, quam vocant recentiores philosophi. Atque majora profecto Xenocratis ceterorumque Platonicorum moliebantur studia. Nonne enim placet legem illam omnia comprehendere in suoque complexu continere et coërcere? alia autem καθ' ὑπόθεσιν ita, ut quae fiant ex natura ipsa fiant et suo tanquam lapsu ac cursu profluant, alia ἐξ ὑποθέσεως, ut quae fiant, procreata et effecta sint? Quis vero est, quin liberum arbitrium et necessitatem fluxisse ex una eademque lege divina videat? Atque consen- taneum videtur in libero arbitrio poni causas quasdam, quae aliquid efficiant; quo fieri, ut sint in nostra potestate assensiones [1]), judicia, appetitus; quae autem facta sint, ea — quum sint ἐξ ὑποθέσεως — sejuncta et remota esse a libero arbitrio.

Haec hactenus de Xenocrate. Sane quidem qui intelligenter et attente audiebat illum, satis fieri ei non potuit, quamvis laeti uberesque fructus praeberentur. Quid enim? Si quis vitam vere beatam nancisci volet, nonne debebit virtutem non extra suam naturam sitam esse arbitrari? Profecto tam conjunctam continentemque esse virtutem naturae oportebit, ut, si quis naturam sequatur, virtutis officio fungatur. At hoc fieri non posse patet, nisi quum



animus atque rerum natura non tam sint inter se contraria et diversa, ut hanc ille compre- hendere ac percipere non possit, tum mundi anima mundusque tam arcte inter se copulentur, ut et sejungi nequeant et unum quoddam corpus efficiant. Tertio denique res alias ex aliis nexas et omnes inter se aptas colligatasque adeo oportebit, ut omnes fato teneantur.

Quae quum Zeno perspexisset, homines docebat felicem vitam non acturos, nisi viverent secundum naturam; quod praeceptum ut firmaret atque stabiliret, adjiciebat ἕνα τὸν κόσμον et πάντα καθ' εἱμαρμένην γίγνεσθαι. — Ita autem intelligi volumus — quod supra diximus — Zenonem potissimum ex Academia materiam ad Stoae fundamentum jaciendum et substruendum apportasse.

**Cap. I.**

## Pantheismus unde et qualis sit.

Stoici qui, quae docebant, ad vitae usum conferebant sapientiamque ipsam quam maxime pertinere ad agendum existimabant (Sen. cp. 89) philosophiam agro frugifero compa- rabant, cujus circumjecta sepes esset logice, fructus ethice, humus vel arbores physice (Diog. VII. 40). Hujus autem sapientiae lex est summa, ut convenienter naturae vivamus, vel — quod idem est — secundum unam constantem et perpetuam rationem (καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ap. Stob. ecl. II. p. 132. 2). Quo probato consentaneum et consequens erat eos infelices putari, qui secum ipsi pugnarent (ibid.), in quos Cleanthes ornatissimis sane versibus invehitur, qui apud Stobaeum eod. loco leguntur.

Felicitas autem non potest esse, nisi vita aequabiliter tanquam profluit (εὐδαιμονία ἐστὶν εὔροια βίου, Stob. ecl. II. p. 138) eandemque oportet in nostro animo consistere, quippe qui factus sit ad unam consensionem totius vitae efficiendam (Diog. VII. 89). Una autem vox per omnium animos auditur ac resonat; haec est dei vox, dei lex, communis lex, recta ratio.

Quae si omnia mente complectimur, sumpsisse Stoicos id apparet, eos, qui consta- rent sibimet ipsis, constare cum omnium communi lege naturae. Atque id agebant in physica, ut id quod sumpserant, ab omni parte esse rectum et verum demonstrarent. — Duabus autem categoriis faciendi patiendique a Platone inventis, quod est a principio, id et uni et alteri categoriae subjiciebant. Qua re facta id quod patiatur, materiam dicunt esse substantiam qualitatis expertem; et quod faciat, rationem in ipsa esse vel deum. Haec autem duo principia ad se pertinere commerciumque secum habere putabantur. Quid enim? nonne corporeum existimabant, quodcunque vere est (Plut. de comm. notit. 30)? et quae efficiunt vel efficiuntur, nonne sunt corpora? (Cic. acad. post. I. 11). Misceri vero inter se corpora et per se ipsa invicem penetrare censebant (Stob. I. p. 376).

At quam sunt longe Stoici progressi, quum quo pervenerint ubive constiterint Academici, in mentem revocamus! Id enim manifesto apparet, materiam et mentem hoc quem diximus modo continuatam esse et junctam; namque λόγος substantia per se est (καθ' αὑτὸν ὤν, ut ait Zeno ap. Diog. VII. 137), vel quam dicas causam sui. Sed facile quempiam Diogenes — quem non ubivis sententias philosophorum accurate et prudenter colligentem memoriaeque nostrae mandantem deprehendas — in falsam opinionem et errorem induxerit, ubi (l. l.) λόγον καθ' αὑτὸν ὄντα materiam primum per aërem in aquam commutasse dicit. Verumtamen ex iis quae attulimus, effici jam potest eos in errorem rapi, qui materiam et mentem a principio inter se disjunctas esse statuant. Stoici enim etsi in Academicorum errore non versarentur neque duplex quoddam divinum numen arbitrarentur, tamen viderentur deum probare, qui — ut a materia sejun- ctus — deus non esset. Mihi quidem errare non videor, si λόγον καθ' αὑτὸν ὄντα causam esse sui interpretor, quam dicunt philosophi recentioris aevi. In hoc autem longissime discedunt Stoici ab Academicis, quod deum ab initio se ipsum movere credebant. Vulgo autem [2]) deum dicebant

ignem esse artificiosum via (ὁδῷ) progredientem ad res naturae procreandas, vel spiritum qui
per totam naturam penetraret. In materia autem in aquam vel accuratius in humidum quiddam
transformata deus hanc quasi personam suscepit, ut sit λόγος σπερματικός (Diog. VII. 136).
Hoc vero modo deus materiam aptam facit ad res ceteras gignendas, in quo numero primum
locum quatuor elementa, ignis, aqua, aër, terra tenent. In his quoque discrimen illud cer-
nitur, quod inter deum est et materiam; etenim ignis et aqua — quippe quae longe a divina
natura non absint — agentia (δραστικά), aër et terra patientia (παθητικά) elementa appellan-
tur (Nemes. περὶ φυσ. ἀνθρ. 5. p. 72). Mundus vero ortus ex his elementis inter se permix-
tis vivum tanquam animal est, quod non solum corpus et animam, sed etiam principale quid-
dam (ἡγεμονικόν) habeat, quamquam de hujus sede scholae principes alii aliud sentiebant
(Diog. VII. 139). Per materiam vero tali modo conversam et institutam permanat circum un-
dique mens divina. Ipsa vero materia — si quodcunque nascitur, ex ea nasci fingimus — na-
turam (φύσιν) prae se fert sive habitum, qui pro certis quibusdam seminalibus rationibus (i. e.
pro vi divina singularum rerum effectrice et parente) ex se ipse moveatur, et quae ex ipso
nascantur, ea stato definitoque tempore efficiat et contineat (Diog. VII. 148). Ita vero existit
natura omnium rerum, quae vel pares sunt, utpote ex materia a mente divina formatae et su-
stentatae, vel dispares, ut ex dispari ratione ac mensura divinae mentis generatae. In aliis
enim rebus mens divina sive spiritus ἕξεως formam speciemque habet, qua corpora conti-
neantur (Achill. Tat. isag. 14 p. 134), veluti in lapidibus, ossibus, aliis (Sext. Empir. adv.
mathem. IX. 81); φύσεως contra in aliis rebus, quae non modo continentur, sed motum et
vitam quandam exhibent — quam naturam liquet ab ea diversam esse, quam supra diximus.
Ex hac vero natura gignuntur plantae (Philon. alleg. leg. II. 7. p. 71 ἔστι δὲ ἡ φύσις ἕξις ἤδη
κινουμένη). Mens denique divina, simulatque natura vim cogitandi et appetendi accepit, ψυχῆς
personam induit (Phil. ibid. ψυχὴ δέ ἐστι φύσις προσειληφυῖα φαντασίαν καὶ ὁρμήν), quo animo
animalia utuntur. Ita vero mundus est ordo et summa unitorum corporum (ἡνωμένων σωμάτων
ap. Sext. Emp. I. 1), quorum quodque non consistit nisi in deo, idemque homines, quippe
qui animo utantur, complexu suo comprehendit. Animi vero naturam corpoream putari, quis
est, qui miretur? Animus enim, si incorporeus esset, quomodo una cum corpore alicunde
moveretur et afficeretur (Nemes. περὶ φυσ. ἀνθρ. 2. p. 33)? deinde ne a corpore quidem obita
morte discedere posset; animus denique cum alio quodam neque similitudinem neque dissimi-
litudinem haberet; at nos quidem profecto parentium non solum ora et vultus, sed etiam
mores referimus. Quid est ergo, quod animus non sit corporeus (Nemes. ibid)? Post mortem
autem animus quamquam remanet ac durat, tamen singulorum hominum animi fragiles et
caduci sunt; firmus stabilisque nullus nisi mundi animus (Diog. VII. 156). Ex hac vero ani-
morum dissolutione retrahuntur ac servantur animi sapientium, qui vel geniorum vel heroum
vel daemonum munus exequentes ad mundi deflagrationem resident (Plut. plac. phil. IV. 7).
Ut vero homo unus ac totus sit, id principali illa parte efficitur; ab hac enim omnes vires
ducunt exordia ex eaque tanquam ex fonte per corpus ita fluunt, ut sit nulla, quae a parte
principali non oriatur (Sext. Emp. IX. 102). Homo vero est animal, quod octo sensus habeat;
praeter quinque enim illos attribuitur ei sensus loquendi, tum gignendi — quod instar est
divinae rationis seminalis — et illa pars ipsa principalis. Hujus quoque quamquam de sede
complures dissentiebant, consentiebant tamen omnes de vi ac natura, in hac enim cogitationem
appetitumque locatum arbitrabantur et rationem (λόγον) indidem profectam suum quasi efficere
opus. Etenim homo est ζῷον λογικόν, omnia cetera animalia ἄλογα vel — id quod idem est —
homo solus quidquid cogitat vel appetit, perspectum habet, cognitum,
judicatum. Quod vero praecipitur, ut vivat ille secundum naturam, triplici modo exequitur;
ac primum quidem elaborat, ut se ipse tueatur ac conservet (Diog. VII. 85; Gell. noct. att.
XII. 5. 7. natura — nobis induit — amorem nostri) plantarum instar, ut ita dicam; deinde



habet appetitum vel vivit κατὰ ὁρμήν (Diog. VII. 86), quemadmodum cetera animalia; id vero homini soli contingit, ut ratione utatur. Haec est ejus οἰκεία φύσις, et homo hominis munus tenet et explet, si κατὰ λόγον vivit. — Ita autem efficitur omnium communem rationem esse a natura ipsa datam, et quod sit a natura ipsa datum, id praecepisse Stoicos supra diximus, ut sequamur in vita colenda.

Hic summas rerum habes et sententias, quibus potissimum rerum ordinem naturae contineri Stoici tradebant. Etsi vero quam parum in physicis profecerint, nequaquam inficiamur — quamquam videntur illi, ut vel in pusillis rebus ac minutis versarentur, doctrina ipsa stimulati esse, utpote quae causas omnium rerum ubivis quaerebat — tamen manifestum et in medio positum videtur, negligere eos physicam non potuisse, nisi fundamenta atque radices evellere vellent ethicae. An est quispiam, qui delectetur ineptiis Plutarchi, qui, ubi Stoicos parum sibi constitisse dicit, tam inscite nugatur, ut ne intelligat quidem, quid sibi Chrysippus voluerit. Is quidem sane in fine physicae ponebat deos, quamquam jure suo dicebat ab iis faciendum esse exordium. Jam vero indagare nostrum non est, quid quantumque operae Stoici ad ethicam doctrinam fulciendam in eo posuerint, ut in physica omnia sint apta et connexa. Quis est enim, qui in his rebus Zelleri (III., 195. 399) sagacitatem et sollertiam superaturum sese speret? Accedit, quod ad graviora vocamur et majora; circumspectis enim omnibus, quas attuli, rebus rationibusque subductis pantheismum in doctrina cerni nemo negat, quem quidem investigare ac perscrutari plus habet fructus et jucunditatis.

Tantum sat est intelligi id sumere Stoicos pro certo, ea quae sint, vere esse, quatenus divino numine repleantur. Quod si ita est, nonne vim dei ac naturam funditus tollebant Stoici? Sane quidem eum praedicabant νοερόν; at quid aliud volebant mentem illam dei esse, nisi illud, quod in rerum natura nunc vi majore nunc minore progrediens, quae sint, efficiat et tanquam nutriat? Quod etsi statuebant, tamen a vulgari opinione non recedebant. Ut enim aequalium animos sibi conciliarent — neque vero est, qui Stoicis id maxime cordi fuisse nesciat — retinebant Junonis, Neptuni, Cereris, aliorum quamquam non numina, tamen nomina, quae una illa vis divina ex materia transformata accepisset (Ptut. de plac. phil. I. 7). Inde erat, ut in nominibus alicunde derivandis in suumque usum interpretandis multa serio vultu jocarentur; quod genus hallucinandi nominumque enodationem quamquam accuratius persequi neque utile neque a re nostra est, tamen, qui vult cognoscere, Annaei Cornuti sive Phurnuti librum περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως pervolutare eum jubemus. Id autem libere dicendum est Stoicorum de diis doctrinam haud ita alienam fuisse a vulgari religione. Quid enim? nonne Jovem venerabatur vulgus tam auguste tamque sancte, ut ei dominatum principatumque totius Olympi daret in eumque deferre potissimum majestatem divini numinis consuevisset? Accedit, quod idem ne Fati quidem duram necessitatem ex sua opinione removebat, cujus nutu et arbitrio omnes dii regerentur.

Pantheismi vero est, quod sit deus et certae cujusdam personae expers et causa sui (καθ᾽ αὑτόν) et unus. Infinitus autem immensusque deus esse non potest; qui si esset, omnino ex veterum philosophorum sententia perfectus non esset. Ergo habet finem (πέρας) sive definitus et constitutus (πεπερασμένος ap. Diog. VII. 140) sed per se ipse est. Nam extra mundum inane quiddam sedet et infinitum; quod quum incorporeum sit, finem certum quendam deo afferre non potest. Neque vero inane illud mundum ingredi potest, quum res, quibus mundus continetur, corpora unita sint; unde fit, ut idem globosam habeat formam (Diog. l. l.). — Nihil ergo est, quod non sit in deo; extra deum nihil est. Etenim res omnes fiunt, crescunt, deflagrationem illam (ἐκπύρωσιν) petunt, quae sit aliquando futura. Quum enim vis illa divina in summum quasi potentiae fastigium ascenderit, et omnia quae sint, suo flatu impleverit, consequetur illa rerum omnium deflagratio constantique progressu mundus ad eadem initia revolvetur, unde erat ortus. Huic autem periodo altera succedet, quae illi par sit et aequalis;

denuo enim existet Socrates et Plato, denuo eadem societas communitasque hominum et civium; denuo homines iidem idem patientur, ferent, suscipient, et quae urbs quique pagus vel ager fuerit, denuo erit. Neque vero hoc semel fiet, sed saepius vel potius in omnem aeternitatem.

Quae quum ita sint, jure quaeritur, num tali rerum ordine constituto malum esse possit. Chrysippus quidem, quum mundum esse perfectum quoddam corpus arbitretur, ejus partes non perfectas statuit; quippe quae non per se sint, sed ad totum quiddam spectent (οὐ τέλεα τὰ τοῦ κόσμου μέρη τῷ πρὸς τὸ ὅλον πως ἔχειν καὶ μὴ καθ' αὑτὰ εἶναι, ap. Plut. de Stoic. rep. 44). Quid est vero, quod alicunde alias judicandi rationes et tanquam adminicula requiramus? Quum enim libri, quos Chrysippus et alii de providentia scripserunt, et in quibus unde malum ortum sit, argutius eos disputasse verisimile est, iniquitate temporum interciderint, quid mirum, quod illustri perpolitaque explicatione, quam in Chrysippi verbis modo allatis habemus, cumulate nobis satisfiat? qui enim ex utilitate malum judicant, videant, ne ad ineptias paene aniles abeant. Quamquam enim Plutarchus, interpres ille Stoicorum insidiosus et insulsus, silvam fere Stoicarum argumentationum in utilitate mali positarum congessit, in iis tamen tantillum ponderis et momenti esse arbitramur, ut, quae ille in medium proponebat, quum ea Stoici vel pugnantium animis effervescentibus vel ad vulgi aures obsidendas temere effutivisse videantur, silentio praetermittamus. Huc vero spectant, quae leguntur ap. Plut. de comm. notit. 13, 14, 32; neque aliam interpretationem habent, quae Gellius N. A. VI. 1. affert. Quid autem aliud volunt Stoici — ne in accumulandis nugis operam perdamus — quam malum esse proximum quiddam et derivatum, quod non per se sit. Malum enim si esset προηγουμένη τις οὐσία (ap. Simplic. in Epicteti enchir. p. 272, ubi ejusmodi substantiam ἑπομέναις οὐσίαις opponebam) veluti homo et equus, formam quandam perfectam et speciem (εἶδος) haberet, qua, quale est, factum esset; sed quod forma perfectum est, id bonum neque malum est. — Quae si omnia animo lustramus, persuasissimum nobis est, Stoicos — quod sive non profitebantur sive memoriae non relinquebant — revera malum esse negasse et ad solam hominum cogitationem revocasse, qui, quae essent, sui tanquam juris esse ea autumarent, neque quo spectarent, eodem referre consuevissent.

Perdifficilis denique quaestio restat — quod haud scio an sit caput — utrum hominum animis naturae lege arctissime inclusis et constrictis arbitrium sit liberum, an, quae agantur, necessitate ea sint coacta. Clamitabat autem tota porticus in nobis esse voluntarium quippiam (τὶ ἐφ' ἡμῖν), qua voce, quidquid ageremus, ex nostra voluntate fieri manifesto profitebatur.

**Cap. II.**

## Quae ratio inter fatum actionesque hominum intercedat.

### 1.

### Qua arte dialectica ea, quae fato fiant et quae fieri queant, inter se Stoici junxerint.

Quamquam Diogenes (VII. 134) deum esse unum et mentem et Jovem multisque aliis nominibus compellari posse recte dicit, tamen id est cavendum, ne vim munusque necessitatis (ἀνάγκης) ei attribuamus. Nam et Gellius (VI. 2. 11) in necessitate fati principium motus consistere secundum Stoicos falso tradit, et Stobaeus turpissime labitur, qui Chrysippum docuisse λόγον esse veritatem vel causam vel naturam vel necessitatem prodit. Neque enim ex loco solum, qui apud Ciceronem de fato 18. legitur, sed ex Nemesio (p. 149) et Alexandro Aphrodisiensi (de fato cap. 9 et 10) luculenter apparet Stoicos accurate distinxisse inter fatum et necessitatem; quamquam hic haud scio an malitiose aliquoties ἐξ ἀνάγκης pro εἱμαρμένης



argumentationi interjecit, sicuti cap. 9. πάντα ἐξ ἀνάγκης γενέσθαι. — Breviter vero ac summatim Nemesius (p. 143) fatum continuationem seriemque dicit causarum, qua aliae ex aliis natae omnesque inter se aptae et colligatae videantur. Neque discrepant, quae pluribus verbis apud Alexandrum leguntur (cap. 22). „Mundum esse unum et res omnes in sese continere — esse in eo gubernationem quandam perpetuam, quae rerum serie et congressu utatur tali, ut antecedentes earum causae sint, quae posthac fiant. Nihil sine causa in hoc mundo aut esse aut fieri, quia nihil sit in ipso solutum et separatum ab antegressis causis". Ejusmodi vero ordo ac series est, ut ab omni aeternitate aliud aliud moveat transformetque et res aliae ipsae copulationem aliarum coagmentationemque quandam efficiant. „Fatum vero ipsum esse deum, qui sit in omnibus, quae fiant, et propria uniuscujusque rei natura ad totius summae gubernationem utatur." Nemo autem negat, qui, quae in praefatione p. 2 disputavimus, memoria repetit a nobisque ea recte disputari concedit, hanc doctrinam transtulisse Stoicos ex Academia, sed definiisse ac circumscripsisse, quum contra Peripateticos in certamen descendissent. Caput vero esse arbitrabantur nihil esse nec fieri sine causa; id quod et Cicero (de fato X. 20) argumentatione ex Porticu petita probat.

Si autem nihil esse sine causa statuebant Stoici, consequens erat, ut fortunam tollerent. Quum vero alii tum Peripatetici casu ea fieri perhibebant, quae, si aliud quippiam quaereremus, sponte supervenirent (ἃ αἰτίαις ἄλλων τινῶν ποιητικαῖς προηγουμέναις ἐπιγίνεται, ap. Alex. 8). Nam thesaurum ajebant forte fortuna inventum, si quis — nescio qua de causa fodiens — thesaurum invenisset. At errare illos Stoici dictitabant; causam enim etsi ignoraremus, tamen antecessisse; casum enim esse nihil aliud nisi causam humanae rationi abditam et retrusam. — Quae si omnia examinamus, hoc discrimen et hic et alias interfuisse inter Stoicos et Peripateticos liquet, ut hi res quae fierent, quales in conspectum cecidissent, tales esse sumerent, Stoici vero ad suum ipsorum sensum et judicium revocarent.

Neque minus patet hoc fato dominante actionem non tolli. Quid vero mirum, adversarios Stoicis hanc conclusionem inculcasse et eorum inertiam desidiamque coarguisse? Hanc vero concludendi rationem insolenter et gloriose appellabant λόγον ἀργόν sive rationem ignavam (Cic. de fato XII. 29). Quin etiam adeo ludificari et calumniari aperte conabantur, ut, si cui fatum esset ex morbo non convalescere, petulanter et inscite cogerent, fore ut non convalesceret, sive medicum adhibuisset, sive non. Quam rationem jure ac merito reprehendebat Chrysippus et adversarios, quae qualisque esset necessitudo et conjunctio singularum rerum, acriter contemplari jubebat; quaedam enim in rebus esse simplicia subjiciebat, quaedam copulata. Simplex — ut ait ipse — est: Morietur eo die Socrates; huic sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si fatum sit: Nascetur Oedipus Lajo; non poterit dici, sive fuerit Lajus cum muliere, sive non fuerit; copulata enim res est et confatalis (Cic. ibid. 30). — Quocirca fatum non esse necessitatem volebant, qua, quodcunque accideret, patienter ferre cogeremur, sed ad diligenter agendum perpetuo incitaremur.

Qua re concessa facillime fieri potuit, ut adversarii affirmarent nos, quidquid faceremus, necessario facere; neque enim dubium et controversum, sed certum et concessum iis videbatur, non esse actionem, quae in libero versaretur arbitrio. Unde evenit, ut hac de re dissensio quaedam magna fieret inter Stoicos et Peripaticos, quae quanta fuerit, et ex nono et ex decimo capite Alexandri perpendi potest. Distinguebant enim Peripatetici inter res ancipites (ἐνδεχομένως γιγνόμενα) vel in quibus locum haberet posse fieri et non fieri, et inter res quae necessario fierent vel quae non possent non fieri. In illo genere ducebant, si quis collum convertebat, aut extendebat digitum aut elevabat palpebras. At Stoici ne ab his quidem rebus necessitatem removebant; in qua re eos nullo pacto sibi repugnasse concedetur, si quid discriminis — quod supra diximus — inter utrosque interfuerit, memoria tenebitur. Namque ex illorum sententia (si rem ipsam volumus ad veritatem revocare) et fieri et non fieri potuit, ut collum

converteretur; neque tamen Stoici levitatis errorisve potuerunt convinci, qui necesse fuisse asseverabant, converti collum; nimirum causae antegrediebantur, quae conversionem efficiebant. Peripatetici vero, quum res suas ancipites tali argumentatione tueri non possent, confugiebant ad res quasdam naturae, ex quibus alias dicebant in contrarium converti non posse, alias autem posse, has autem esse ancipites. Ignem enim non posse refrigescere, calescere nivem; contra aquam et refrigescere et calescere posse et ejusmodi alia multa. Quum vero hae res in eo statu, in quo essent, non essent necessario — quippe quae facultatem haberent in contrarium se mutandi — et esse et fieri res ancipites. — Adversabantur Stoici, quamquam *esse* res in eo statu concedebant, in quo versarentur, neque tamen, quia in opposito et contrario statu esse possent, sed quia res, in quo ipso statu essent, ex causis antegressis necessario essent. Quod quum ita sit, assentiendum puto illis — quod etsi Alexander absurdum et ineptum vociferat:

necessario esse in aliqua re tam ea, quae in contrarium flecti nequeant, quam ea, quae alio tempore aliter se habere possint,

i. e. quae sint, utpote sint, ex necessitate esse.

Quamquam vero Stoici argumentatione sua effecerunt, res ancipites non *esse*, tamen fieri posse quidquam non negarunt. Ut vero admonerent, quam nos esse cautos et diligentes oporteret, si possibile illud statueremus, refugiebant ad ratiocinationem illam, quae a Megaricis inventa λόγος κυριεύων appellabatur, sed cujus conclusionem in suum usum immutabant. Dicebant ergo (ap. Epictet. dissert. II. 19):

Possibile est, quod verum neque est neque futurum est.

Praeteritum quodvis necesario verum est.

Jam vero sic conclusisse[4]) mihi videntur: Si praeteritum quodvis aut erat aut futurum erat; in praeterito vero id, quod est aut futurum est, aliquid est, quod verum neque sit, neque futurum sit, i. e. possibile quiddam; praeteritum vero — utpote quod fuit aut futurum fuit — ei antecedit, quod in praeterito est aut futurum est; sin autem id, quod in praeterito est aut futurum est, fieri non potest; denique id, quod fieri non potest, impossibile est — tum sane efficitur:

Possibili succedit impossibile.

O sane egregiam sapientiam, qua adversariorum acies tota sit profligata; nam qui *esse* res quasdam ancipites statuerint, caveant, ne, si quem eas gerere jubeant, id jubeant, quod fieri nequeat!

Nihilo minus possibile aliquid aliquopiam modo esse asseverabant Stoici; attamen non in rebus ipsis, sed in sensu nostro ac judicio, vel rectius in inscitia nostra ponebant. Ajunt enim, possibile esse, si nihil impediat, quominus quid fiat, si modo ne fiat (ap. Alex. 10. δυνατὸν εἶναι γενέσθαι τοῦτο, ὃ ὑπ᾽ οὐδενὸς κωλύεται γενέσθαι, ἂν μὴ γένηται). — Tali vero modo et esse res ancipites (sive possibilia) negant et fieri; contra, quidquid fiat vel sit, ex fato fieri et esse affirmant.

Adjiciebant vero non impedire fatum, quominus contrarium fieret, quod quamvis non fieret, tamen fieri posset. Quum denique adversarii quaererent, quo modo probaretur nihil impedimenti fuisse, quominus contrarium fieret: nihil aliud respondebant Stoici, quam nesciri prorsus, quid impedimenti fuisset. Et recte; nam si sciremus, aliquid impedimento fuisse, quominus res quaedam fieret, dici non fas esset hanc rem fieri posse, sed esse eam, quam fieri oporteret — quippe hae illaeve causae fuerunt. Patet autem ex scholae sententia rem ullam ancipitem esse non posse nisi in inscitia hominum, et sane Aphrodisiensis, alias obtrectator et acerrimus adversarius Stoicorum, quid hac de re senserint, recte dicit (c. 10.) δῆλοί εἰσιν οἱ λέγοντες οὕτως ὡς τῇ ἡμετέρᾳ γνωρίσει τὸ δυνατὸν ἔσται κατ᾽ αὐτούς. Neque reticeri licet ex hoc fonte et initio fluxisse Stoicorum doctrinam de divinatione, cujus originem — ne a proposito aberremus — breviter perstrinxisse sat erit.



Quamquam vero fato continetur quidquid est vel fit, tamen id esse vel fieri negant vi et necessitate coactum et invitum. Quum enim rem ullam sine causa esse negarent, distinctione inter has ipsas facta quid esset fatum, illustrabant ac definiebant. Etenim discernebant inter *causas perfectas et principales* (αἴτια κύρια, αὐτοτελῆ, συνεκτικά) et *adjuvantes et proximas* (προσεχῆ, προκαταρκτικά, προηγούμενα, συναίτια, συνεργά, συνεζευγμένα, ἑκτικά) [5]). Si vero *omnia fato fieri* dicebant, *antecedentibus causis proximis et adjuvantibus* fieri volebant et fatum ipsum appellabant causarum seriem immutabilem vel aeternam (de fato 5.) vel causam aeternam rerum, cur eae quae praeteriissent, factae essent, et eae quae instarent, fierent; et eae quae consequerentur, futurae essent. — Ut vero causae illae adjuvantes et proximae aliquid efficerent, necesse esse accedere perfectas et principales statuebant; quae quidem in singulis rebus, animalibus, hominibus positae naturam ipsorum continerent (Cic. de fat. 18. Gell. VI. 2.).

## 2.

## Qualis sit necessitas libertasque agendi; quale bonum ac verum.

Intelligitur ex iis, quae supra exposuimus, diversa ac varia esse genera, quae in rerum natura cernantur; neque enim eandem esse naturam animatorum et animae expertium neque animatorum parem eandemque esse (Alex. 13.). Jam vero edocebant Stoici (Alex. ibid.) fieri ea, quae a re quaque fierent, secundum propriam suam naturam, veluti a lapide secundum lapidis naturam, ab igne secundum ignis naturam, ab animante animantis. Omnia vero ea, quae fierent secundum propriam ipsorum naturam, fieri necessario, non tamen ea necessitate, quae esset per vim et violentiam, sed quia, quidquid eveniret, non posset non evenire certis quibusdam causis antegressis vel circumstantibus (Alex. ibid.). — Quae si probe tenentur, *necessitatem ex sua cujusque rei natura et fato natam esse* liquet. Si enim lapis de sublimi jactus deorsum fertur, fato fit, ut de sublimi ille jaciatur; natura autem ejus cernitur in gravitate, necessitas denique, quod lapis deorsum fertur. (τῶν συντελούντων παρόντων γίγνεσθαι τὴν τοιαύτην κίνησιν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης διὰ τοῦ λίθου, ap. Alex. ibid.). — Jam vero hoc loco cognosci potest fato effici, ut aliquid ex necessitate fieri *possit*; minime autem in eorum discedendum esse sententiam, qui idem valere velint quippiam fato fieri et fieri oportere. Neque minus intelligitur, has quidem res, quarum modo mentio facta est, necessitate sola regi ac teneri; et quam inepte Philopator (ap. Nemes. p. 139) ignem ex sua tanquam voluntate ardere judicaverit, ne dici quidem opus est.

Similis autem ratio est animantium atque eorum, quae animis carent. Illorum enim est motu quodam a natura dato cieri atque agitari; neque ergo absonum videtur, quod Stoici omnia animalia motu quodam, — qui esset appetitus — (quamquam alterum quoque motionis genus adjiciendum erat, quod est cogitationis) ex fato agitari dicebant. Motus vero, qui per animalia ex fato fierent, in eorum esse potestate (ἐπὶ τοῖς ζῴοις εἶναι λέγουσι ap. Alex. 13). At parum accurate parumque exquisite de hac re disputabant Stoici, qui, quamvis omnes, qui veterem disciplinam colebant, pari negligentia laberentur, tamen ne ab adversariis quidem reprehendebantur. Etenim non discernebant inter libertatem belluarum et hominum; utrumque autem genus animantium quamquam in libertatem vindicatum est, tamen parem eandemque libertatem non accepit; quam correxisse indiligentiam posterior demum porticus videtur. Namque Marcus Antoninus (X. 33) dicit: ἀπόλαυσιν δεῖ ὑπολαμβάνειν, ὃ ἔξεστι κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ἐνεργεῖν· πανταχοῦ δὲ ἔξεστι, τῷ μὲν οὖν κυλίνδρῳ οὐ πανταχοῦ δίδοται φέρεσθαι τὴν ἰδίαν κίνησιν, οὐδὲ τῷ ὕδατι οὐδὲ πυρὶ οὐδὲ τοῖς ἄλλοις, ὅσα ἀπὸ φύσεως ἢ ψυχῆς ἀλόγου διοικεῖται· τὰ γὰρ διείργοντα καὶ ἐνιστάμενα πολλά, νοῦς δὲ καὶ λόγος διὰ παντὸς τοῦ ἀντιπίπτοντος οὕτως πορεύεσθαι δύναται, ὡς πέφυκε καὶ ὡς θέλει. Debebant ergo Stoici dicere belluis quoque datam esse libertatem et cogitationis et appetitus, sed quae, quum rationis illae

expertes essent neque earum rerum, in quibus deliquisse dicerentur, rationem reddere possent, revera nulla esset. At quaeri licet, quomodo liberum judicetur animans. Libertas enim, quum appetitio a natura ipsa data sit, non in appetitu ipso — quippe quem, veluti in lapide gravitatem, fieri ac moveri ὑφ' εἱμαρμένης necesse est — cerni potest. Quamquam autem, quid Stoici de hac re ipsa senserint, non possumus ipsorum verbis docere — interciderunt enim libri, quos multos Zeno, Cleanthes, Sphaerus, alii περὶ ὁρμῆς composuerunt — tamen satis putamus esse, quod Epictetus (I. 1.) appetitum esse δύναμιν ὁρμητικήν τε καὶ ἀφορμητικήν declarat. An errare videmur, si in sequenda appetitione et declinatione libertatem esse positam judicamus? Quum vero appetitus unum genus motuum esset, alterum cogitatio, hujus quoque libertatem censebant in eo versari, quod, qui cogitarent, quae res objicerentur, eas aut mente amplecterentur aut repudiarent. Quod vero belluarum et cogitatio et appetitus expertes essent rationis, eo homines ab iis secerni et internosci.

Nunc vero quum ad ethicum praeceptum revertimur, ut naturae convenienter vivamus, quid aliud praecipitur, quam ut cogitationem et appetitum rationi subjiciamus? Nam quum in cogitando vel appetendo rationi repugnabimus (μαχούμεθα ἡμῖν αὐτοῖς), infelices, felices erimus, quum conveniemus. At primum quidem liberi sumus in declarando appetitu et cogitatione sive appetimus sive declinamus; tum boni ac veri, quum quidquid appetimus vel cogitamus, in eo rationi obtemperamus; denique necessitatis lege restringimur et tenemur, quum quidquid appetimus vel cogitamus, id volumus exequi. Quae quam vere a nobis dicantur, et quam cum pantheismo, quem Stoici sumunt, vehementer congruant et cohaereant, in iis, quae subsequuntur, Stoicorum verbis illustrabitur.

Animalia ratione praedita, quum iis ratio ex perfectiore providentia data sit, secundum naturam vivunt, si illam sequuntur, quippe quae artifex accedat moderatrixque appetitionis (Diog. VII. 86). Lex igitur summa in humana natura insita est, ut et in appetendo et in declinando pareamus rationi. Quid vero? nonne etiam scientia, quae omnes cognitiones cogitationesque amplectitur, comprehensio est firma, et quae a ratione non infirmetur nec frangatur? (Stob. ecl. II. p. 128. εἶναι δὲ τὴν ἐπιστήμην κατάληψιν ἀσφαλῆ καὶ ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου.) Hominum autem animi, quum huc illuc ex libertate appetendi rapi possint, contra naturam moventur (κινοῦνται παρὰ φύσιν), si quid appetunt vel cogitant, quod rejicere et aspernari eos oportebat. Accedit vero aliud quiddam; quae enim appetitio contra naturam movetur, ea, quum ratione et modo careat, extra fines terminosque a natura constitutos egreditur (Diog. VII. 110, ἔστι δὲ αὐτὸ τὸ πάθος κατὰ Ζήνωνα ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. Neque his reluctabantur adversarii; offendebantur autem et reclamabant, — id quod Stoicis obtinere et pervincere cordi esse oportuit — quod, quoquo nos modo ex appetitu haberemus (ἐνεργεῖν), liberi putaremur. Quocirca ratiocinatione probabili et satis longa (ap. Alex. c. 33) Stoici eliciebant: Si (ex concesso) quoquo nos modo habemus, aut ex appetitu aut non nos habemus; atque (ex concesso), quoquo nos modo non ex appetitu habemus, in nostra potestate est: in nostra potestate est, quoquo nos modo habemus. At Peripatetici occurrebant, et quamquam in eo, quoquo nos modo haberemus, liberum quiddam esset positum, tamen, quoquo nos modo ex appetitu haberemus, liberos nos esse negabant; neque enim quemquam liberum esse, nisi qui rationi obtemperaret, adhibitaque demum deliberatione — quam βούλευσιν esse interpretamur — appetitum rationis participem fieri. Quam vero deliberationem liberam esse quum alias tum ap. Alex. 36. negabant Stoici his verbis: si id in nostra potestate est, cujus et contrarium agere possumus, atque in hoc genere laudationes sunt et vituperationes, hortamenta et dehortationes, poenae et praemia, non est in potestate hominum proborum esse probos et virtutes habere, quippe qui recipere in se non possint vitia, quae istis virtutibus sint contraria. Ac vitia quidem in vitiosorum hominum erunt potestate; neque enim in eorum potestate est, ut mali non sint. Atqui



absonum est dicere non esse in nostra potestate virtutes et vitia; quemadmodum igitur, quoquo nos modo ex appetitu habemus, liberi sumus, ita etiam in eo, quidquid ex appetitu agimus." Aristoteles autem et qui eum sectabantur, libertatem volebant in dilectu — quem dicimus προαίρεσιν ap. Alex. 12. — consistere vel in appetitione quadam, qua cum desiderio ad aliquid duceremur, quod deliberando elegissemus (ἡ γὰρ ἐπὶ προαιρεθὲν ἐκ τῆς βουλῆς μετὰ ὀρέξεως ὁρμὴ προαίρεσις ibid). Neque vero de hac re assentiebantur Stoici Peripateticis; quod enim deliberantium esset adhibere rationem — quae esset domina et moderatrix agendi —, in eo liberos non posse eos dici [6]).

Verumtamen hoc loco non licet nobis progredi, priusquam cogitationem quoque liberam putari satis testificati sumus. Stoici vero, qui, quum quae essent corporea existimarent, in animos nostros visa inprimi docebant (quam quidem rem nonnulli impolite ita interpretabantur, quasi annulo in cera sigillum imprimeretur), cogitationem esse motum et agitationem animi volebant (πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γιγνόμενον ap. Plut. de plac. phil. IV. 2). Adjiciebant vero ea, quae cogitatione perciperemus, aut sensibus aut mente (διανοίᾳ) nos complecti. Veluti vero ex nostra ipsorum voluntate appeteremus vel declinaremus, ita cogitationi quoque nostrae vim esse concessam statuebant, imagines quasdam, quibus animi pulsarentur, aut recipiendi aut recusandi, in eaque ipsa vi libertatem cogitandi contineri. Unde fiebat, ut quae cogitaremus vel ageremus, ex libera quadam assensione et approbatione — quam συγκατάθεσιν vocabant — fluxisse ea studiose conarentur exponere. Hanc enim assensionem volebant eam esse Stoici, qua niteretur et penderet voluntas vel liberum arbitrium; quod vero imagines quaedam animis objicerentur, in eo libertatem cogitandi non collocabant (Sext. Empir. adv. mathem. VIII. 397). Quum vero adversarii assensionem in viso dicerent, non in cogitatione esse positam, quid mirum, quod Stoici — in satis difficiles argumentationis angustias compulsi — assensionem, quamquam ex viso penderet et oriretur, tamen non esse ab eodem excitatam et effectam extricabant. Ad quam rem patefaciendam et illustrandam refugiebant ad cylindrum et turbinem suum, quae moveri incipere, nisi pulsa, non possent; id autem quum accidisset, suapte natura, quod superesset, et cylindrum volvi et versari turbinem putabant. Ac pari modo censebant sensus e quadam quasi impulsione extrinsecus oblata esse junctos; approbationem autem in nobis positam ac voluntariam.

Quid vero? quis illam imaginem ac similitudinem perperam sumptam esse negat? Contulerunt enim Stoici ea inter se, quae voluntatem habent et quae ea carent, quamquam ii, qui, quid verba „suapte natura" valeant, recte intelligunt, nihil habent, quod jure opponant; hominum enim natura fert, ut et assentire possint, et assensum retinere. Planius autem et dilucidius dicebant approbationem fato teneri. At fatum esse causam proximam, non principalem, probe erat tenendum; quod si tenebant adverserii, verbis, non re differebant [7]). — Jam vero, ut, unde paululum discessimus, eodem revertamur, id probasse nobis videmur, cogitationem esse liberam, etsi iis minime refragamur, qui, quae visa approbatione in nobis quasi deposuerimus et defixerimus, non omnia vera esse judicant. Iis autem potissimum visis adjungebant fidem, quae propriam quandam haberent declarationem (ἐνέργειαν) earum rerum, quae viderentur (Cic. Acad. post I. 11 pr. II. 6. 17). Haec autem visa, quippe quae proprie vereque ab hominibus comprehenderentur, visa comprehensibilia (φαντασίαι καταληπτικαί) nominabantur; vis autem illa et facultas, qua ea comprehenderentur, comprehensio (κατάληψις). In nobis vero gignuntur ex illis cogitata (ἔννοιαι), quae — quum visa comprehensibilia aut natura aut institutione, disciplina, studiis animo offerantur — duplicis sunt generis; licet haec accuratius appellantur cogitata (ἔννοιαι), illa προλήψεις. Ejusmodi vero cogitatis impletur, alitur, sustinetur ratio (Plut. de phil. plac. IV. 11. λόγος ἐκ τῶν προλήψεων συμπληροῦσθαι λέγεται). Jam quum, quid sit verum, quaeritur, conveniens Stoicorum doctrinae id esse dicas, quod cum ratione consentiat et conspiret; atque ii potissimum inter vetustiores Zenonis

ex voluntate et mente egisse mihi videntur, qui rectam rationem (ὀρθὸν λόγον) — quam omnes parentem et reginam totius naturae illustrabant ac laudabant — veritatis notam et insigne definiebant. Argutius vero Chrysippus, quamquam nimium ab illis non abhorrebat, notam ipsam non in recta ratione apparere sentiebat — quam quidem sententiam ex eo fluxisse verisimillimum videtur, quod ratio illa ipsa ex aliis quibusdam rebus nata ac profecta esset — sed aut in re ipsa ponebat, quam cogitaremus, aut in eo, qui cogitaret. Quocirca notam illam dicebat esse aut visum comprehensibile aut πρόληψιν sive cogitatum, quod ex ejusmodi viso ortum esset. Ne tamen longius a proposito aberremus, nos fas est dicere id verum statuisse Stoicos, quod cum ratione conveniret, cum illa ratione nimirum, quam unam in rerum natura vigere ac vivere luculenter declaraverant. Atque hoc potissimum loco com-paret, quam demonstrari necesse fuerit, rationem (λόγον) dominatum obtinere totius naturae, nisi si, quod cogitandi principium statuerant, id futile videri ac commenticium vellent. — Nec tamen omnia visa, quae animo objiciuntur, comprehensibilia putantur; quod enim visum ex re vere existente sive naturali et corporea nexum et jugatum est, id ἀκατάληπτον sive φαντασίαν ἀκατάληπτον nominabant (τὴν μὴ ἀπὸ ὑπάρχοντος ἢ ἀπὸ ὑπάρχοντος μὲν μὴ κατ᾽ αὐτὸ δὲ τὸ ὑπάρχον, τὴν μὴ τρανῆ μηδὲ ἔκτυπον Diog. VII. 46). Si vero huic assentimur — neque quid-quam est, quo approbatio nostra impediatur — in opinationem (ὑπόληψιν) incidimus, qua hominum animi vitiis erroribusque implicentur.

Neque alia res est, si quae sit vis appetitionis, breviter inquiritur. Quantumvis enim in appetendo et declinando liberi simus — quum qui appetitioni obediant, ii naturam suam ipsorum sequantur -- tamen boni esse non possumus, nisi obedientem rationi appetitum praebemus. Hominum autem animi, quum rebus, et quae essent et quae futurae essent, in agendo moverentur, quatuor turbatis motibus agitari Stoicis videbantur, aut voluptate (ἡδονῇ) aut concupiscentia (ἐπιθυμίᾳ) aut dolore (λύπῃ) aut metu (φόβῳ). Voluptatem autem dicebant esse elationem animi (ἔπαρσιν) rationi repugnantem, qua quae expetenda viderentur, a nobis appeterentur; concupiscentiam appetitum rationi repugnantem (ἄλογον ὄρεξιν); dolorem animi contractionem rationi repugnantem (ἄλογον συστολήν); metum — quem debebant accuratius definire ἄλογον ἔκκλισιν sive ἀπόδρασιν — expectationem mali. His autem opponebantur bonae affectiones (εὐπάθειαι), gaudium (χαρά), cautio (εὐλάβεια), voluntas (βούλησις). Quae quum voluptati, metui, concupiscentiae contrariae putentur, quis est, qui non jure miretur, quod non doloris quendam motum extricaverunt, qui sit rationi congruens? quo quidem doloris motu sublato fortitudinis quoque fundamentum evertitur. Quae quum affectiones animi stabiles perpetuaeque factae per totam vitam cum ratione consonant, virtutes fiunt (Stob. ecl. II. p. 104). Quidquid vero virtus efficit, bonum est; et id, quod ut efficiatur virtute praecipitur, καθῆκον dicitur vel ὃ λόγος αἱρεῖ ποιεῖν (Diog. VII. 108).

Quum vero, quam apte cogitandi et agendi principia inter se cohaerescant, quantum sat sit, nobis videamur perstrinxisse, neque tamen fusius doctrinam ethicam exponere nostrum sit; operae precium fore speramus, ea, quae comprobare uberius conabamur, compressius nunc percensere simulque explanare, ad quem eventum Stoici actiones rerum perventuras esse senserint. Hi autem, qui, quum praeciperent ut κατὰ λόγον viveremus, id nos facere et oportere et posse enixe edocere studebant, totam naturam rerum ratione sola effici et gubernari volebant. Quocirca jure postulari ipsis videbatur, ut eidem, quae in omnium quoque animis insedisset, utique pareretur. Quum vero rationem parentem dominamque naturae esse sumpsissent, non potuerunt, quin irretiti pantheismi laqueis ordinem et dispositionem rerum arbitrarentur, qua alias statuebant ex aliis aptas et connexas esse, vel — quod idem est — omnes res teneri fato. Verumtamen id intelligi nolebant nos esse ministros ac satellites numinis cujusdam insolenter et immodice dominantis, ad cujus nutum et arbitrium nos totos fingeremus et accommodaremus, sed argumenta afferebant sane firma ad probandum, nos etiam



fato dominante esse liberos praestandosque esse nobis et errores, per quos lapsi essemus, et culpas, quas contraxissemus. Homines autem esse liberos approbatione et assensione data et in cogitando et in agendo; neque vero cogitare quemquam vel agere posse nisi ex fato i. e. antecedente quadam causa proxima et adjuvante; recte denique cogitare ac bene agere eum, cujus cum ratione congruerent animi motus. Quidquid vero cogitaremus vel ageremus, vi et necessitate quadam edocebant esse factum. Etenim si necessaria essent, quae semper essent, non posse fieri, ut iisdem omnibus rebus circumstantibus, quae et causam et illud, cui causa essent, simul pariterque moverent, et hoc et illud eveniret (ap Alex. 22. φασὶν εἶναι τὸ ἀδύνατον εἶναι τῶν αὐτῶν ἁπάντων περιεστηκότων περί τε τὸ αἴτιον καὶ ᾧ ἐστιν αἴτιον, ὁτὲ μὲν δὴ μὴν οὕτω συμβαίνειν, ὁτὲ δὲ οὕτως). Errare igitur eos, qui quidlibet quolibet tempore nos posse agere pro certo existimarent; quo enim concesso motum esse sine causa judicari. — Postremo equidem id persuasisse velim, constanter convenienterque dicere et totam porticum, liberos esse homines sua ipsorum natura (οἰκείᾳ φύσει), qua vel appeterent vel declinarent, et Cleanthem casto pioque animo deos precantem (ap. Epict. enchir. 52):

Ἄγου δέ μ᾽ ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ᾽ ἡ Πεπρωμένη,
ὅποι ποθ᾽ ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
ὡς ἕψομαί γ᾽ ἄοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω,
κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

---

## ADNOTATIONES.

1) In verbis, quae apud Nemesium περὶ φυσ. ἀνθρ. p. 145 leguntur τὰς μὲν γὰρ προηγουμένας αἰτίας ὥσπερ τινὰς ἀρχὰς καὶ καθ᾽ ὑπόθεσιν περιέχει (sc. νόμος θεῖος), ἅπερ ἐστὶν ἐφ᾽ ἡμῖν συγκαταθέσεις καὶ κρίσεις καὶ ὁρμαί — quid καὶ particula ante vocabula καθ᾽ ὑπόθεσιν velit, primum anquiritur; ego quidem conjicio vocabulum πράξεις omissum esse; infra quoque videtur Nemesius hujus loci meminisse: διὸ καὶ ἐξ ὑποθέσεως καλεῖ τὰ παρακολουθοῦντα καὶ ἑπόμενα ταῖς ἐφ᾽ ἡμῖν ὑποθέσεσι, τούτεστιν ἀρχαῖς καὶ πράξεσιν.

Tum verba ἅπερ ἐστίν sensu carent; quae enim significatio neutrius plur. ap. Apoll. Dysc. pron. p. 204. Becker. commemoratur, qui ἅπερ significare veluti docet, ab hoc loco eam prorsus abhorrere nemo negat. Nexus autem sententiarum hic esse mihi videtur: „lex divina antecedentes causas complectitur ita, ut, quicquid fiat, causa quadam effectum esse videatur, vel — quod idem est — nihil sit, quod causam non habeat. Neque tamen vi necessitatis hominum coguntur animi, quum iis assensiones, judicia, appetitus data sint.“ Puto igitur legendum esse ὅπερ εἰσίν „quamquam sunt in nostra potestate etc.“, de qua significatione neutrius singularis cf. Apoll. Dysc. ibidem.


2) Quae vulgo apud Plut. de plac. phil. I. 7. leguntur κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται et quae Ritter et Preller (histor. philos. p. 447 not.) νοερὸν θεόν emendant, rectius legi puto κοινῶς τὸν θεόν.

3) Gell. noct. att. VI. 2. (vulgo) φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Miror, quod et Lipsius (de physiol. Stoic. I. 12) et qui nuper textum recensuit, M. Hertz locum intactum et corruptum, quamquam medicina parva sanabilem, reliquit; qui enim scriptura majuscula utitur, legendum esse manifesto cernit: καὶ μεταποιουμένων.

4) De conclusione et verbis exprimenda et sententiis explicanda — quamquam res mihi ipsa tanquam videbatur rudentis explicatio — non potui, quin dissiderem a viro doctissimo Trendelenburgio (Histor. Beiträge II. p. 162 sqq.). Is enim, quae sane subtiliter et copiose disseruit, applicasse ea mihi videbatur ad Epicteti conversionem latinam, quam Hudsonus praebuit, sed notatam maculis ex Jamesii interpretatione perperam facta natis.

5) Brandisius (in Mus. Rhenan. 1829 p. 550 sqq.) quum primus causas in ordinem redigeret, συνεργά, συνεζευγμένα, προηγούμενα silentio praetermisit; neque mihi quidem persuadere potuit, qua ductus disponendi ratione duo sua genera distinxerit. Qua de causa alium ordinem secutus sum Stoicosque primum discrevisse puto inter αἴτια κύρια et αἴτια προσεχῆ (quam etsi distinctionem illi nobis suis ipsorum verbis non reliquerunt, tamen non a re alienam fore existimo), sive eas causas, quibus ut fiat aliquid καθ᾽ εἱμαρμένην efficiatur; in his autem causis, quippe quae possent aut antecedere aut proximae esse et auxi-

liariae, sejunxisse et προηγούμενα et συναίτια; denique autem, quum causis aut ad agendum aut ad patiendum impelleremur — quod quidem discrimen Stoicos ubivis respexisse notum atque testatum est — κύρια eos divisisse in αὐτοτελῆ et συνεκτικά, προηγούμενα in προκαταρκτικά et ἑκτικά, συναίτια in συνεργά sive συντελοῦντα (ap. Clem. Alex. strom. I. 20. 99. VIII. 9. 25) et συνεζευγμένα. Causas vero hac ratione ordinatas ut in uno ponam conspectu, hac tabula descripsi:




Cicero (top. 14. 58), qui ordinis, cui litera b) praeposita est, mentionem facit, aliis nominibus, ut videtur, sumptis discernit inter causas quietas (quibus definiri ac contineri συναίτια arbitror) et causas, quae praecursionem quandam habent ad efficiendum, in quod genus τὰ προηγούμενα referre mihi perplacet.

6) Per mihi mirum visum est, quod O. Heine, homo inprimis acutus et subtilis, (de Stoicorum fato doctrina p. 43) et in Peripateticorum sententiam discessit et locis duobus Alexandri (c. 33) insuper depravatis vel distortis novam labem intulit. Ac primum quidem ἄτοπα post τὸ δὲ λέγειν falso inseruit; sententia enim est: „Stoici dicebant eos, qui vim efficiendi in libertate efficientium esse negarent, ad eam adduci opinionem, ut non omnia, quae ex appetitu fierent, in libertate appetentium esse crederent; qua re comprobata etc.“

Accedit, quod infra idem hac correctione utitur: τὸ τῶν ἐνεργημάτων μὲν μὴ καθ' ὁρμὴν δὲ μηδὲ εἶναι τὸ ἐφ' ἡμῖν. At ipse videat, qua interpretatione verbis suis sensum extorqueat: „actiones, quae non ex appetitu fiant, ne liberas quidem esse.“ Equidem — si quid recte videro — quum a librario quodam syllabas quasdam et vocabula confusa et omissa esse censeam, pronomine τὶ etiam pro τὸ ex editione Londinensi sumpto sic legendum esse opinor: τὸ τῶν ἐνεργημάτων τῶν μὲν μὴ καθ' ὁρμὴν μηδέν, τὸ καθ' ὁρμὴν δὲ εἶναί τι ἐφ' ἡμῖν „ex iis, quae non ex appetitu efficiantur, nihil; contra, quae ex appetitu efficiantur, in nostra potestate esse.“

Vir doctus denique si sic disputat: „detorquentes extremum argumentationis membrum eos id efficere, quod velint, jure adnotat Alex. Aphrodisiensis. Debebant enim ipsam conclusionem sic pronuntiare: id quod est in nostra potestate, eorum est, quae ex appetitione fiant“ — ex Stoicorum disciplina neutiquam causam agit. In hoc enim Alexander et Stoici inter se discrepant, quod ille logicam solam appetitionem dicit esse liberam; hi autem adhibita ratione artifice (quam λόγον τεχνίτην interpretor) tolli libertatem contendunt; hac enim arcessita agendi necessitatem gigni.

7) De hac re largius ac copiosius in textu disserui, quia verba, quae apud Ciceronem de fato 43 leguntur, identidem in disceptationem sunt vocata. Nuperrime autem Heine l. l. p. 2 dicit: „Cicero summam quaestionis adeo non intellexit, ut contendat eos quidem, qui et fato fieri assensiones et iis necessario visa antecedere negent, prorsus cum Chrysippo dissentire, eos vero, qui assensiones non sine viso antecedente, visa vero ipsa non fato fieri dicant, verbis non re ab illo dissidere.“ At per injuriam viro docto Ciceronis scientia suspecta fuit; neque enim is ignorat de qua re potissimum quaeratur, neque contendit esse, qui non fato fieri visa dicant. Cicero autem fere haec exponit: „Chrysippus assensionem liberam esse dicit, fieri autem fato i. e. causa proxima et continenti. At alii negant assensionem fato fieri (in quo numero Academicos et Peripateticos fuisse mihi non incredibile videtur); qui si concedunt, visa antecedere, assensionem autem non fato fieri, quia fatum — utpote causa proxima et continens — assensionem non efficiat: non contrarium, sed idem dicunt. Chrysippus enim censet, in visis esse secundariam quandam causam, non principalem et procreatricem quasi assensionis. Atque quum Stoici omnia fato fieri, neutiquam vero omnia antecedente principali causa fieri velint, adversarii profecto verbis a Chrysippo dissident; nempe ipsi dicunt assensionem non posse fieri nisi viso antecedente.

Restat ut de paragrapho 44 pauca verba faciamus. Vulgo legitur apud Ciceronem: Si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen eas non sine viso antecedente fieri, alia ratio est. — Heine correxit „diffitiantur“, quia sensus contrarium verbum flagitaret. Quid vero? Cui persuadeat vir doctus, verba: „diffitiantur eas non sine viso antecedente fieri“ idem valere atque „diffitiantur eas s. v. a. non fieri? Accedit, quod nemo est, qui assensiones sine viso fieri dicat. — At recte dubitatur, quid sibi velit fateantur. Mihi quidem placet legi fatuantur. Academici enim, qui assensiones non sine viso (vel: una cum viso) antecedente fieri nugabantur, argutum quiddam et spinosum loqui sibi videbantur, sed quod Cicero jure notatum utique negligit. —

---

# Schulnachrichten

## von Ostern 1862 bis Ostern 1863.

## I.

## Chronik der Schule.

Ueber den Gymnasialbau ist nur so viel zu berichten, daß die an der Spitze der vorjährigen Schulnachrichten ausgesprochene Hoffnung, das Stadium, in welches derselbe getreten, werde nun bald zum erwünschten Ziele führen, nicht in Erfüllung gegangen ist. Das Königl. Ministerium hat seine Genehmigung zu den von hieraus gemachten Vorschlägen noch nicht ertheilt und wird sie auch wohl nicht ertheilen, da der Herr Geh. Ober=Regierungsrath Knerk bei seinem Hiersein am 27. März v. J. den Ankauf des von dem Comité und den städtischen Behörden ins Auge gefaßten Glöckner'schen Hauses nicht für zweckmäßig befunden hat. Das Rettungshaus aber, auf welches Derselbe, wie schon früher der Herr Ober=Präsident v. Witzleben, als auf eine für ein Gymnasialgebäude sehr geeignete Localität hinwies, ist nun nicht mehr zu gewinnen, und für den Angriff des Baues selbst wird dadurch von Neuem nun ein Sillstand eintreten.

Das gegenwärtige Schuljahr begann den 29. April und wird den 27. März geschlossen werden. Im Lehrercollegium sind während desselben bedeutende Veränderungen vorgekommen. Zunächst traf uns und die gesammte Anstalt ein sehr empfindlicher Verlust durch den Abgang des Oberlehrers und Ordinarius von Unter=Secunda Herrn Stier, der seit Mich. 1851 bis Mich. 1852 als Probe=Candidat, dann als definitiv angestellter Lehrer mit großem Segen an unsrer Anstalt gewirkt hatte und Ostern 1862 einem Rufe als Director des Dom=Gymnasiums und der damit verbundenen Realschule in Colberg folgte. Beim Schulschlusse Freitag den 11. April überreichte der Unterzeichnete dem Scheidenden eine von ihm im Namen des Lehrercollegiums verfaßte Valedictionsschrift: De quatuor Gorgiae Platonici locis disputatio. Gleichzeitig verließ uns der zweite wissenschaftliche Hülfslehrer Dr. Trautmann, um eine Stelle als Lehrer am Königl. Pädagogium in Halle anzunehmen. Die hierdurch entstandenen Lücken wurden zunächst durch Ascension ausgefüllt, indem durch Ministerial=Bestimmung vom 30. April die Herren Dr. Wentrup, Knappe und Dr. Winter in die erste, zweite und dritte ordentliche Lehrerstelle aufrückten, durch Min.=Bestimmung vom 13. Mai aber beide Adjunctenstellen zu ordentlichen Lehrerstellen erhoben und der bisherige Adjunct Herr Müller zum vierten ordentlichen Lehrer ernannt wurde. Die fünfte ordentliche Lehrerstelle wurde provisorisch dem Lehrer an der höheren Töchterschule in Halle Candidaten der Theologie Herrn Hartung und die zweite wissenschaftliche Hülfslehrerstelle provisorisch dem Probe=Candidaten am Gymnasium zu Zeitz Herrn Erdmann,

beides durch Ministerial-Bestimmung vom 6. Juni, übertragen. Ersterer trat am 11. Mai, letzterer bei Wiedereröffnung der Schule den 29. April ein. Als dann Michaelis auch der erste provisorisch angestellte wissenschaftliche Hülfslehrer Herr Spangenberg nach Halle zurückging, um dort sein Examen zu absolviren, trat an seine Stelle durch Minist.-Bestimmung vom 17. Nov. ebenfalls provisorisch Herr Dr. Vermehren, der bis dahin Collaborator am Gymnasium zu Rudolstadt gewesen war. — Durch Se. Excellenz den Herrn Minister v. Mühler wurde unterm 30. April dem Herrn Oberlehrer Dr. Bernhardt das Prädicat „Professor" und dem ordentlichen Lehrer Herrn Dr. Wentrup der „Oberlehrer"-Titel beigelegt.

Um die bis dahin sehr dürftig dotirten unteren Lehrerstellen zu verbessern, wurde auf Anregung des Königl. Prov. Schul-Collegiums vom Wohllöbl. Magistrat Vorschläge zur Erhöhung der seit Ostern 1853 eingeführten Schulgeldssätze für die drei ersten Classen gemacht und unterm 30. April vom Königl. Ministerium bestätigt. Seit dem 1. Mai v. J. wird daher bei uns jährlich an Schulgeld gezahlt

| | |
|---|---|
| in Sexta 12 Thlr., | in Tertia 18 Thlr., |
| in Quinta 14 Thlr., | in Secunda 20 Thlr., |
| in Quarta 16 Thlr., | in Prima 22 Thlr. |

Bei der Vorfeier des Geburtstages Sr. Majestät des Königs am 21. März v. J. hielt Herr Dr. Winter die Festrede über das Thema: Preußens Geschichte eine Geschichte sonder Gleichen.

Die feierliche Entlassung der im vorjährigen Programm namhaft gemachten 20 Abiturienten, welche die Prüfung zu Ostern bestanden hatten, fand am Nachmittage des 10. April Statt. Es traten hiebei folgende 11 Abiturienten mit Vorträgen auf:

Alexander Gürtler: „Mächtig ist der Trieb des Vaterlandes." Rede.
Oskar Donselt: Fridericus magnus ante pugnam Leuthensem. Ode.
Heinrich Meusel: „Doctrina sed vim promovet insitam Rectique cultus pectora roborant." Rede.
Georg Brase: „Willst du, daß wir dich hinein in das Haus mit bauen, Laß es dir gefallen, Stein, daß wir dich behauen." Rede.
Wilhelm Brandt: Ὁ νεανίας ἐν τριόδῳ ἑστηκώς. Ode.
Albert Schmidt: Quibus potissimum in virtutibus Romanorum cernatur magnitudo. Rede.
Oskar Giese: Achilles Patrocli mortem lugens. Ode.
Otto Richter: Des Lebens Wahrheit und Dichtung. Rede.
Gerhard v. Niebuhr: Quantum Thebani debuerint Epaminondae. Rede.
Gustav Strien: Laudes verni temporis. Ode.
Paul Treff: Die Unbeständigkeit des menschlichen Glückes, nach einem Chorgesange im König Oedipus des Sophokles. Gedicht, womit derselbe zugleich im Namen der Abgehenden von der Anstalt Abschied nimmt.

Zur Vorfeier des Reformationsfestes den 30. October Abends 6 Uhr hielten folgende 9 Primaner Vorträge:

Hugo Fritzsche: Charakteristik der verschiedenen Versuche, die christliche Kirche zu reformiren. Rede.
Gustav Grundmann: Quae inter Franciscum Sickingium et Ulricum Huttenum necessitudo fuerit. Rede.
Oskar Schulz: Luther im Kreise seiner Familie und seiner Freunde. Rede.
Wilhelm Pflaumer: Ἡ Λουθῆρος ταφή. Ode.
Karl Richter: Die Bedeutung der Lutherschen Bibelübersetzung. Rede.
Robert Gräbner: Vitebergam urbem omnium maxime idoneam fuisse, unde sacrorum emendatio proficisceretur. Rede.
Karl Obermann: Calvins Leben und Wirken in Genf. Rede.
Otto Joseph: Carolus V. ad tumulum Lutheri. Ode.
Bruno Dörffling: Luther in Coburg. Gedicht.

Außerdem wurden im Kreise der Lehrer und Schüler auf dem Schulsaale den 19. Mai am hundertjährigen Geburtstage Fichtes, den 20. September am funfzigjährigen Erinnerungstage des Brandes von Moskau, am 14. Februar zur Vorfeier des vor 100 Jahren geschlossenen Hubertsburger Friedens Vorträge von den Schülern der vier oberen Classen gehalten. Die zuletzt erwähnten waren folgende:

Primaner Müller: Die Bedeutung des 30jährigen Krieges für Preußen und Deutschland.
Secundaner Lamprecht: Friedrich vor Beginn des Krieges. Gedicht von Goltdammer.



Secundaner Piutti: Siegeslied von Gleim.
Secundaner Unger: Seydlitz. Gedicht.
Tertianer Palmié: Schlacht bei Roßbach. Gedicht von Gleim.
Tertianer Galetzschki:
Tertianer Schulze: } Die Schlacht bei Leuthen nach Archenholtz.
Tertianer Menge:
Secundaner Albert Bernhardt: Elegie auf dem Schlachtfelde von Kunersdorf von Tiedge.
Quartaner Wieck:
Quartaner Theodor Schapper:
Quartaner Philipp Bernhardt: } Der Ueberfall bei Hochkirch nach Archenholtz.
Quartaner Kärnbach:
Tertianer Bourzutschky: Schlacht bei Torgau nach Werner Hahn.
Tertianer Scheibe: Im Lager von Bunzelwitz nach Werner Hahn.
Secundaner Marr: Friedrich der Große, Ode von Schubart.

Ueber die Feier des 17. und 22. März wird das nächste Programm berichten.

## II.

## Schreiben und Verfügungen des Königl. Prov.-Schul-Collegiums.

1) Vom 7. März ein Rescript des Inhalts: „Es hatte ein patriotischer Freund der Jugend aus Anlaß der Krönungsfeier Sr. Majestät des Königs eine Anzahl des Bilderwerks „Aus König Friedrichs Zeit" dem Herrn Minister v. Bethmann-Hollweg zur Vertheilung an Schüler höherer Lehranstalten überwiesen, und letzterer hat davon 20 Exemplare an das diesseitige Königl. Prov.-Schul-Collegium mit der Bestimmung übersandt, dieselben bei der Schulfeier des Allerhöchsten Geburtstages Sr. Majestät des Königs, nach Ausfüllung des Gedenkblattes, an solche Schüler vertheilen zu lassen, welche ihre Lehrer einer derartigen Auszeichnung für würdig halten." Das uns zugeschickte Exemplar erhielt nach dem Beschlusse des Lehrercollegiums der Abiturient Gerhard v. Niebuhr.

2) Vom 1. August: Mittheilung des Urtheils der Königl. wissenschaftlichen Prüfungs-Commission zu Halle über das Ergebniß der hier zu Ostern v. J. abgehaltenen Abiturientenprüfung.

3) Circular vom 14. August: Aufforderung zu einer gutachtlichen Aeußerung über die Zweckmäßigkeit und eventuelle Ausführbarkeit einer Aufnahme der Stenographie in den Lehrplan der höheren Schulen.

4) Vom 18. November: Mittheilung, daß den Zöglingen von höheren Schulen (Gymnasien, Realschulen, Progymnasien und höheren Bürgerschulen), welche sich zum einjährigen freiwilligen Militairdienst melden, das Attest über ihre moralische Qualification nicht mehr von den Polizeibehörden, sondern von den Directoren resp. den Rectoren der betreffenden Unterrichtsanstalten auszustellen sei.

5) Vom 24. November: Aufforderung, für die inländischen Programme, weil das Lyceum zu Wernigerode als ein Progymnasium anerkannt sei, ein Programm mehr, also 233 Exemplare einzusenden (für die auswärtigen bleibt die Zahl der Exemplare 167).

6) Vom 20. December: Mittheilung eines Rescripts des Herrn Unterrichts-Ministers, in welchem auf einige beim deutschen Unterricht auf den Gymnasien besonders zu beachtende allgemeine Gesichtspunkte aufmerksam gemacht wird.

## III.

## Lehrverfassung.

### 1. Religion.

Prima: S. Lectüre der Propheten nach Luthers Uebersetzung. W. Kirchengeschichte und einiges aus dem Evangelium Johannes im Grundtexte. — Ober-Secunda: S. Das Leben Jesu nach den 4 Evangelien mit Erörterung der wichtigern bibl.-dogmatischen Begriffe. W.

Interpretirende Lectüre der Apostelgeschichte im Grundtexte. — Unter-Secunda: S. Interpretirende Lectüre des Ev. Lucä. W. Das Leben Jesu nach den 4 Evangelien. — Ober-Tertia: Das christliche Kirchenjahr und Lectüre der Kathol. Briefe des N. T. W. Katechismus, das 4. und 5. Hauptstück. — Unter-Tertia: Lectüre der Psalmen und Sprüche Salomonis. W. Lectüre des Ev. Matthäi und Katechismus, der 3. Artikel. — Quarta: S. Lectüre des Ev. Marci. W. Katechismus, der 2 Artikel. — Quinta: Biblische Geschichte des N. T. nach Preuß und Katechismus, der 1. Artikel und Repetiren des ersten Hauptstücks. — Sexta: Bibl. Geschichte des A. T. nach Preuß und Katechismus, das 1. Hauptstück.

Daneben in allen Classen Erklärung der jedesmaligen Sonntags-Evangelien oder Sonntags-Episteln, in den obern Classen nach dem Grundtexte, und Memoriren von Kirchenliedern.

## 2. Deutsche Sprache.

Prima: S. Erklärung der Göthe'schen Iphigenia. Dispositionslehre (nach Deinhardt) und Dispositionsübungen. W. Geschichte der mittelalterlichen Poesie besonders der ersten Blüthenperiode; abwechselnd Vorträge über einschlagende Themata. — Ober-Secunda: An die Lectüre und Erklärung von Göthes Hermann und Dorothea schloß sich die Betrachtung der epischen Dichtungsart überhaupt in vergleichender Weise; dann wurde Schillers Tell durchgegangen, um einiges über den Unterschied des Epischen und Dramatischen daran zu knüpfen. Die Dispositionslehre wurde mit der Lectüre der alten Schriftsteller und mit Schillers kleinen historischen Abhandlungen in Beziehung gesetzt und an mannigfachen Aufgaben geübt. Daneben Declamation und freie Vorträge. — Unter-Secunda: Elemente der mittelhochdeutschen Formenlehre. Die Gedichte von Walther v. d. Vogelweide; Nibelungenlied bis Nr. 944 nach Wackernagels Edelsteinen. Disponirübungen. Memomiren mittelhochdeutscher Gedichte. — Ober-Tertia: Uebungen im Zergliedern der Periode. — Unter-Tertia: Dieselben Uebungen. — Quinta: Lehre vom einfachen und zusammengesetzten Satze, von den Präpositionen, Conjunctionen, Adverbien und der Interpunction. — Sexta: Unterscheidung der Redetheile und Uebungen im Analysiren leichter Sätze.

Die Themata zu den freien Arbeiten waren: In Prima: Für die erste Abtheilung: 1) der Menschen Engel ist die Zeit. — 2) Wie kam es, daß der Plan Alexanders des Großen gelang, die Entwürfe des Pyrrhus dagegen scheiterten? — 3) a. Hat Horaz Recht, wenn er die aurea mediocritas so häufig lobt? b. Die Macht der Wahrheit im Anschluß an Göthes Iphigenia. — 4) Wie erklärt sich der Umschwung im Charakter der Kriemhilde? — Für die zweite Abtheilung: 1) Das Meer ein Bild des Lebens. — 2) Haben die Deutschen Grund, auf ihren Namen stolz zu sein? — 3) Was ist von dem Ausspruch des Horaz zu halten: Quid sit futurum cras, fuge quaerere? — 4) Vergleich der Gudrun und Odyssee.

Klassenarbeiten für beide Abtheilungen: 1) Ueber Goethes Iphigenia (die einzelnen Aufgaben wurden unter die Schüler vertheilt): a. Gang der Handlung. b. Charakteristik der Hauptpersonen. c. Wodurch wird die Verwickelung herbeigeführt und wie wird sie gelöst? d. Wie läßt Goethe, abweichend von Euripides, den Fluch des Atridenhauses sich lösen? — 2) „Nicht die Gewalt der Arme, sondern die Kraft des Gemüthes ist es, die den Sieg erkämpft" (Fichte). — 3) Fünf Themata aus der römischen Geschichte (unter die Schüler vertheilt): a. In wiefern läßt sich die Geschichte des griechischen Volkes mit dem Jugendalter, die des römischen mit dem Mannesalter vergleichen? b. Warum hat gerade die Geschichte der römischen Republik so bedeutendes Interesse für uns? c. Die Römer verglichen mit den Spartanern. d. Wer erregt mehr unsere Theilnahme im 2. punischen Kriege, Hannibal oder die Römer? e. Die Ursachen des Sittenverfalls bei den Römern.

In Ober-Secunda: 1) Arbeit ist die Mutter der Kraft. — 2) Ans Vaterland, ans theure schließ dich an, das halte fest mit deinem ganzen Herzen! — 3) Ueber Göthes Hermann u. Dorothea, an einzelne vertheilt: a. Ueber die besonders malerischen Stoffe darin. b. Die sittlichen Grundsätze der darin auftretenden Personen. c. Die Familie nach der Verlobung. d. Die Vorgeschichten der Personen. e. Läßt sich ein Zusammenhang nachweisen zwischen den vorausgesetzten Witterungsverhältnissen und den Stimmungen der handelnden Personen? — 4) Noth bricht Eisen (Chrie). — 5) a. Nisus und Euryalus nach Aen. IX. poetisch frei behandelt. b. Betrachtung über diese Episode. — 6) Uebersetzungen aus Ciceros Reden und aus Livius. — In der Classe gearbeitet wurden: — 7) Welche Gründe und Umstände bewogen nach Herodot den Xerxes zu seinem Zuge nach Griechenland? — 8) Verschiedene Aufgaben aus Göthes H. u. D. an einzelne vertheilt: a. Ueber die Französische Revolution. b. Hermann als der Deutsche Typus eines tiefen, langsam heranreifenden Charakters. c. Charakteristik des Pfarrers — des Vaters — der



Mutter — des Apothekers. d. Der Gang der Handlung mit Angabe der Wendepuncte. e. Schilderung der Localität überhaupt, genauere Beschreibung der Besitzungen des Gastwirths. — 9) a. Die Rachethat des Odysseus (als Ganzes in reflectirender Weise). b. Odysseus der Rächer (bloß erzählend nach Od. XXII.)

In Unter-Secunda: 1) Der Frühlingsmorgen (Schilderung im Anschluß an vorgelegte Sentenzen). — 2) Ueber den Stolz. — 3) Weshalb heißt Constantin der Große? — 4) a. Wie bethätigte Friedrich Wilhelm III den Spruch: Sincere et constanter? b. Mit welchem Rechte führt Theodosius den Beinamen des Großen? — 5) Was verhalf dem Muhamedanismus zu seiner schnellen Verbreitung? — 6) Die lyrischen Stoffe und Motive Walthers v. d. Vogelweide. — 7) Was erweckt unsre lebhafte Theilnahme für Otto III? — 8) Nausikaa, ein Charakterbild nach Homer. — 9) a. Camillus räth in Rom zu bleiben, eine Rede nach Livius. b. ein Gedicht (Muhameds Traum oder die Schlacht an der Unstrut). — 16) In wie fern kann man das Mittelalter eine sternenhelle Nacht nennen?

## 3. Lateinische Sprache.

Prima: 3 Stdn. Cic. Oratt. Philipp. I. III. IV. V. VII. IX. und ex tempore einiges aus der zweiten und achten Rede. Taciti Germania und aus den Annalen I. c. 1—15 und die sich auf die Germanen beziehenden Stellen. 3 Stdn.: Stil- und Sprechübungen. Dir. Schmidt. 2 Stdn. Hor. Od. lib. I. und II. mit Auswahl. Sat. II, 1. 6. Epist. I, 1. 6. 10. Daneben metrische Uebungen in stetem Anschluß an die Metra der Lectüre, von Zeit zu Zeit freie Arbeiten. Dr. Wentrup. — Ober-Secunda: 4 Stdn. Cic. pro Rosc. Am. und pro lege Manilia. Liv. XXIV. 3 Stdn. Virg. Aen. VII. VIII. IX. b. 525 und ausgewählte Partien aus X—XII. Unter-Secunda: 4 Stdn. Cic. Cat. I—IV und Liv. V c. 33—55. VII c. 1—42. 1 Stde. Prosodie und Versification (Disticha und Hexametra . 3 Stdn. Grammatik und Stilübungen. Dr. Wentrup. 2 Stdn. Ovid. Fast. III.—VI. G.-L. Knappe. — Ober-Tertia: 4 Stdn. Curtius IV von c. 5. bis VII incl. 2 Stdn. Ovid. Metam. nach der Auswahl bei Siebelis No. 26—38. 3 Stdn. Grammatik und Stilübungen. 1 Std. Metrik. — Unter-Tertia: 4 Stdn. Caes. bell. G. V und VI. 2 Stdn. Ovid. Metam. nach Siebelis Auswahl No 1—4. 3 Stdn. Grammatik und Stilübungen. 1 Std. Metrik. G.-L. Knappe. 2 Stdn. Cursorische Lectüre von Corn. Nepos (Epaminondas, Pausanias bis Chabrias). Cand. Erdmann. — Quarta: 5 Stdn. Corn. Nepos (Miltiades bis Dion). 3 Stdn. Grammatik und Stilübungen. Dr. Winter. 2 Stdn. Poetische Anthologie von Siebelis. Cand. Erdmann. — Quinta: Repetition der regelmäßigen Formenlehre. Unregelmäßige Formenlehre und Deponentia mit den entsprechenden Uebersetzungsübungen aus Schmidts Elementarbuch. — Sexta: Regelmäßige Formenlehre verbunden mit Uebersetzungsübungen aus Schmidts Elementarbuch. Die Themata zu den freien Lateinischen Arbeiten waren:

In Prima: Für die Aelteren: 1) Oedipi mores et ingenium duce Sophocle in Oed. T. exponantur. — 2) Socratis et vitam et mortem sapiente fuisse dignissimam. — 3) Non redeundum in Graeciam esse. Oratio Ulixis (Il. 2, 285 etc.) ad similitudinem septimae Ciceronis orationis Philippicae conformata. — 4) Quid Horatius odarum libris patriae praecipue dicat damnosum fuisse. — Für die Jüngeren: 5) Tantae molis erat Romanam condere gentem (Virg. Aen. I. 33). — 6) Cur Cicero Antonium hostem patriae judicandum esse censuerit. — 7) Camillus et Coriolanus exsilii poenam a civibus sibi quam ob causam irrogatam quam dispari animo tulerint. — 8) Argumenta, ex quibus Tacitus indigenas esse Germanos colligit, examinentur. — 9) Res memorabiles sexti Iliadis libri in ordinem quendam redactae. — Von allen gleich in der Classe gearbeitet wurden: 10) Qua arte Homerus Achillem paullatim magis ira exardescentem fecerit. — 11) Qua arte Homerus libro quinto Iliadis effecerit ut, quanta fuerit Diomedis fortitudo, appareat.

In Ober-Secunda: 1) Narratio de Arione, quae est apud Ovidium, comparatur cum Herodotea. — 2) Oratio Artabani apud Xerxem, qua bellum Graecis inferendum dissuadet. — 3) De Pythio Lydo narratio (nach Herodot und Plutarch). — 4) Extremae partis orationis illius, qnam Cicero habuit pro Roscio Amerino, dispositio. — 5) Res Romanorum, quas in clipeo expressas Aeneae exhibuit Virgilius, breviter explicantur. — 6) Argumentum orationis a Cicerone de imperio Cn. Pompeji habitae exponitur. — In der Classe gearbeitet: 7) Leonidas cum trecentis suis in Thermopylis mortem pro patria oppetens (nach Herodot).

## 4. Griechische Sprache.

Prima: 5 Stdn. Thucyd. I c. 1. II c. 51—69 IV c. 102—106. V c. 6—11. Soph. Antigona und Hom. Il. I bis V. VI und IX. 1 Std. Grammatik und Uebungen im Uebersetzen

aus dem Lateinischen ins Griechische. — Ober=Secunda: 3 Stdn. Herodot VII mit Ausschluß von c. 61—99 und 150—171. 2 Stdn. Hom. Od. XIX—XXIV. 1 Std. Grammatik und Uebungen im Uebersetzen aus dem Lateinischen ins Griechische. — Unter=Secunda: 2 Std. Hom. Od. VII bis XII. Dr. Wentrup. 3 Stdn. Herodot I c. 1—91 und aus Jacobs Attika Stücke aus Plutarchs Aristides und Themistocles. 1 Std. Grammatik und schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische. G.=L. Knappe — Ober=Tertia: 3 Std. Arrhiani exped. Alex. I und II. 1 Std. Hom. Od. I bis III. 2 Std. Grammatik und schriftliche Uebungen. — Unter=Tertia: Xen. Anab. IIc. 3—IVc. 5. — Quarta: Die Formenlehre bis zu den Verbis auf μι incl. verbunden mit Uebersetzungsübungen aus dem Elementarbuche von Schmidt und Wensch.

### 5. Französische Sprache.

Prima: Charles XII par Guizot u. Mort de Louis XVI par Lamartine. Repetition der Grammatik. — Ober=Secunda: Théodose le Grand par Fléchier. Repetition der unregelmäßigen Verba u. Syntax nach Plötz. — Unter=Secunda: Histoire de la première croisade par Michaud. Repetition der unregelmäßigen Verba u. Anfang der Syntax. — Ober=Tertia: Histoire de Charles XII par Voltaire. Plötz Grammatik L. 1—23. — Unter=Tertia: Plötz Lehrb. Abschn. V u. VI. — Quarta: Plötz, Abschn. III u. IV. — Quinta: Elemente der Grammatik und Vocabellernen. Plötz, Lect. 1—40.

### 6. Geschichte und Geographie.

Prima: 2 Std. Römische Geschichte, zuletzt Geschichte der Freiheitskriege. 1 Std. Repetition der mittleren und neueren Geschichte, meistens in freien Vorträgen der Schüler. — Ober=Secunda: Geschichte des Mittelalters; daneben Repetition der Griech. und Röm. Geschichte. — Unter=Secunda: Das Mittelalter. Repetition der geographischen Curse. — Ober=Tertia: Brandenburg=Preußische Geschichte. Geographie Preußens. Wiederholung der Geographie von Deutschland. — Unter=Tertia: Deutsche Geschichte von der Völkerwanderung bis zum Westphälischen Frieden. Geographie von Deutschland. — Quarta: Geschichte der alten Völker, namentlich der Perser, Griechen und Römer. Geographie der außereuropäischen Erdtheile. — Quinta: Geographie von Europa. — Sexta: Allgemeine physische Geographie mit besonderer Berücksichtigung Europas.

### 7. Mathematik und Rechnen.

Prima: 3 Stdn. Stereometrie (die platonischen Körper). Arithmetische und geometrische Reihen, Zinseszinsrechnung und binonischer Satz. 1 Std. Lösung von Aufgaben aus den verschiedenen Disciplinen der Geometrie und Algebra. — Ober=Secunda: Die regelmäßigen Polygone und die Kreisberechnung. Die Elemente der Stereometrie. — Unter=Secunda: S. 4 Stdn. Repetition der Planimetrie. W. 3 Stdn. Die Lehre von den Proportionen und der Aehnlichkeit. Dr. Bernhardt. 2 Stdn. Potenzlehre, Logarithmen, Gleichungen ersten und zweiten Grades mit einer und mehreren Unbekannten. G.=L. Müller. — Ober=Tertia: S. Congruenz der Dreiecke, Gleichheit der Figuren und Kreislehre (Eucl. B. I und III). W. Theilung der Figuren, die in= und unbeschriebenen Polygone des Kreises (Eucl. B. II und VI). — Unter=Tertia: Planimetrie und Anfangsgründe der Buchstabenrechnung. Daneben Repetition der bürgerlichen Rechnungsarten. — Quarta: Lehre von den Verhältnissen und Proportionen. Decimalbrüche und Quadratwurzeln. — Quinta: Bruchrechnung der 4 Species mit benannten und unbenannten Zahlen, einfache Regel de Tri, Zinsrechnung, Gesellschaftsrechnung. — Sexta: Die 4 Species mit benannnten und unbenannten Zahlen und der Anfang der Bruchrechnung.

### 8. Naturwissenschaften.

Prima: Mechanik und physische Geographie. — Ober=Secunda: Aerostatik, Akustik und Wärmelehre. — Ober=Tertia: Mineralogie. S. Die einfachen Mineralien (Oryktognosie). W. Die zusammengesetzten Mineralien (Geognosie). — Unter=Tertia: Dasselbe Pensum. — Quarta: S. Botanik. W. Die Vertheilung der drei Naturreiche nach den Zonen.

### 9. Hebräisch.

